

51


c



ΑΡΕΤΗϹ
ϹΚΙΑ
ΦΘΟΝΟϹ.



ΠΑϹΙΝ ΕΥ ΦΡΟΝΟΥϹΙ
ϹΥΜ—ΜΑΧΕΙ ΤΥΧΗ.



IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI


Emblematum liber.

Ipſa Emblemata ab Auctore delineata: a Theodoro de Bry ſculpta, & nunc recens in lucem edita.

Francofurti ad Moenum.

CIϽ IϽ XCIII.





ΚΑΛΩϹ ΑΚΟΥΕΙΝ ΜΑΛΛΟΝ Η ΠΛΟΥΤΕΙΝ ΘΕΛΕ.

A ILLVSTRE ET VERTVEVSE DAME CATHERINE DE HEV, FEMME ET ESPOVSE DE HAVT ET PVISsant Seigneur Messire Claude Antoine de Vienne, Chevalier, Baron de Clervant, Copet, &c.

Ian Iacques Boissard.

MADAME, d'autant que je me suis apperceu par plusieurs fois, que, cõme estes addonnee à la speculation des choses qui appartiennent à l'instruction de l'ame, avez prins pleisir à la lecture d'un petit livret d'Emblemes que je mis en lumiere il y a environ quatre ans. I'ay estimé estre de mon devoir (pour l'obligation que i'ay à vostre maison, à cause de tant de biens & honneurs que i'en ay receu & en reçoy journellement) d'en recuillir un autre volume, les pourtrais desquels i'ay interpreté par diverses sentenes, appropries à la matiere de laquelle traictent lesdits Emblemes, extraictes de divers autheurs Philosophes & Poëtes. Ce que je vous dedie, comme à celle à qui toutes mes estudes se doivent raporter: m'estimant en cela estre bien honnoré, quand il vous plaira de recevoir ce petit œuvre pour agreable, avec tout ce qui peut proceder d'un bon cœur de celuy qui desire demeurer à perpetuité.

Vostre treshumble & tresobeïssant serviteur.

A ELLE MESME
SONNET.

MADAME, *ie vous offre espars en ce volume*
(Comme i'en suis tenu) ces Emblemes divers.
I'y louange les bons, I'y blasme les pervers,
I'y blasonne la bonne & maligne coustume.

Ce n'est pas que pourtant arrogant je presume
Acquerir quelque bruit de grand par l'univers.
Ainçois i'employe ainsi, pour rendre descouvers
Voz merites à tous, mon compas & ma plume.

I'ay façonné ces traicts sur tant de beaux discours,
Dont vous endoctrinez les vostres tous les Iours,
Modelant leur bell'ame au patron de vous mesme.

Mais si i'eusse eu pouvoir de tracer au burin
Le pourtrait imité de vostre esprit divin,
Madame, i'eusse peinct, pour tout, ce seul Embleme.

PAVLI

PAVLI MELISSI FRANCI, COMITIS PALATINI, EQVITIS TORQVATI, ET CIVIS ROmani, in Emblemata Iani Iacobi Boissardi.

BOISSARDI *nitidissimas in ædes*
Sesè transtulerant nouem sororum
Frater, Cecropidumq́; Diua Pallas,
Visum vermiculata multiformi
Arte Emblemata, quæ teres rotundo
Composuerat is labore nuper;
Matronæ CLEREVANTIÆ *dicanda,*
Electæ Charitum trium parenti.
Vt adfabilis, vt Poeta comis
Est; humaniter ac piè Deumq́;
Et Deam hospitio accipit benigno.
Mirantur decus ac typos venustos:
His dies, aliisq́; peruidendis,
Vna haud sufficit, Hesperoq́; sero
Pernoctant Lare sub silente Vatis.
Cœna apponitur. Haud Iouis vocares
Nectare ambrosiaq́; viliorem.
Suaui timpora balsamo rigantur.
Somnum nox vbi debitum poposcit,
Vnum ambos penetral capit; toroq́;
Vno iungit Apollinem & Mineruam
Boissardus, iuuenes Deos maritans.
O quàm coniugium hoc sit auspicatum!
O quàm connubium audit hoc beatum!



Petri Lepidi Metensis in Boissardi effigiem à Theodoro de Bry sculptam.

COVS *Alexandrum si nobilitauit Apelles,*
Dum pinxit docta Principis ora manu:
Iane, tuum illustrat Theodori industria vultum,
Qui tanto heic pictus cernitur artifice.

PHILIP-

PHILIPPA LAZÆA POLANA ILlyrica, in eandem effigiem.

HEM! *quid aſpicio? labella cuia hæc?*
Tincta Cecropio labella melle.
Cuius ſunt oculi lepore pleni?
Hæc ſpirantia cuius ora? nonne
Picta eſt hæc facies mei ſodalis
Boiſſardi? facilis Camœna cuius
Manum inſtruxit, Apollinisq́ doctam
Indulſit citharam. Hercle, Ianus iſte eſt,
Natus Sequanica Veſuntione.
Viuis, Iane, igitur; tuosq́ vultus
Expreſſos tabulis Theoderici
Totus nouerit orbis. At Pol illos
Terſis carminibus tuæ Thaleiæ
A morte interituq́ vindicaſti.

AD LE-

AD LECTOREM BOISSARDVS.

PRAVOS, *candide Lector, dum libello hoc*
Mores improbo, laudibusq́ sanctam
Virtutem eueho, tu meum institutum
Prosequêre tuo fauore, opinor:
Et dabis veniam, seueriore
Si quæ iudicio notem: necesse est
Candenti resecare sæpe ferro
Membrum putre, medela quod nequibat
Sanare. Hoc puto nemini futurum est
Molestum. In genere omnia exaraui,
Parcens nominibus. Mouere bilem
Nulli sum solitus volens sciensve.
At qui conscius heic suam fricari
Austera scabiem manu æstimabit,
In me frendeat; hoc licebit illi.
Mihi sat fuerit bonis placere.

EMBLE-

EMBLEMATVM INDEX, ET ORDO.

INDEX.

Francisce

Paulo

INDEX.


ERRATA SIC CORRIGITO.

*Pag.*3 *tit. Francisco.*13. *tit.tii.* 20.*versu* 6. *truditur.* 20.*stimulis.* 24,16. *in fel.*25.*tit.Gualterio.* 4.*etenim, dele comma.* 40,8. *iactitat?* 44,17.*pœnitentia.* 46,22.*Rutilio.*47.*tit.Rutilio.*1.*decuit.* 51,1. *aut non.* 56,16.*credulitate.* 66,16.*quo bemè me.*71.*tit.Petro Fridero.* 72,12.*excors im.*76,19.*quærenda.* 88,4.*potentiorum.*13.*maturuerint.*102,14.*preciosiorem.*103,1.*Fortuna.*3.*sollerte.*

Ο ΒΙΟΣ

Ο ΒΙΟϹ ΤΡΟΧΟϹ: ΑϹΤΑΤΟϹ ΟΛΒΟϹ.


ΠΟΙΗΝ ΤΙϹ ΒΙΟΤΟΙΟ
ΤΑΜΟΙ ΤΡΙΒΟΝ; ЄΝ
ΑΓΟΡΗ ΜЄΝ ΝЄΙΚЄΑ
ΚΑΙ ΧΑΛЄΠΑΙ ΠΡΗΞΙ
ЄϹ:ЄΝ ΔЄ ΔΟΜΟΙϹ
ΦΡΟΝΤΙΔЄϹ: ЄΝ Δ'Α
ΓΡΟΙϹ ΚΑΜΑΤωΝ ΑΛΙϹ
ЄΝ ΔЄ ΘΑΛΑϹϹΗ ΤΑΡ
ΒΟϹ:ЄΠΙΞЄΙΝΗϹ Δ' ΗΝ
ΜЄΝ ЄΧΗϹΤΙ ΔЄΟϹ:
ΗΝ Δ' ΑΠΟΡΗϹ ΑΝΙΗ-
ΡΟΝ: ЄΧЄΙϹ ΓΑΜΟΝ,
ΟΥΚ ΑΜЄΡΙΜΝΟϹ ЄϹ-
ϹЄΑΙ:ΟΥ ΓΑΜЄЄΙϹ. ΖΗϹ
ЄΤ'ЄΡΗΜΟΤЄΡΟΝ: ΤЄΚ
ΝΑ ΠΟΝΟΙ: ΠΗΡωϹΙϹ
ΑΠΑΙϹ ΒΙΟϹ:ΑΙ ΝЄΟ
ΤΗΤЄϹ ΑΦΡΟΝЄϹ:ΑΙ
ΠΟΛΙΑΙ Δ' ЄΜΠΑΛΙΝ
Α ΔΡΑΝЄЄϹ.ΗΝ ΑΡΑ
ΤΟΙΝ ΔΥΟΙΝ ЄΝΟϹ ΑΙΡЄ
ϹΙϹ;Η ΤΟ ΓЄΝЄϹΘΑΙ
ΜΗΔЄΠΟΤ', Η ΤΟ ΘΑΝЄΙΝ
ΑΥΤΙΚΑ ΤΙΚΤΟΜЄΝΟΝ.



ΠΑΝΤΟΙΗΝ ΒΙΟΤΟΙΟ
ΤΑΜΟΙϹ ΤΡΙΒΟΝ: ЄΙΝ
ΑΓΟΡΗ ΜЄΝ ΚΥΔЄΑ ΚΑΙ
ΠΙΝΥΤΑΙ ΠΡΗΞΙЄϹ: ЄΝ
ΔЄ ΔΟΜΟΙϹ ΑΜΠΑΥΜ':
ЄΝ Δ' ΑΓΡΟΙϹ ΦΥϹΙΟϹ
ΧΑΡΙϹ:ЄΝ ΔЄ ΘΑΛΑϹ
ϹΗ ΚЄΡΔΟϹ: ЄΠΙ ΞЄΙ-
ΝΗϹ, ΗΝ ΜЄΝ ЄΧΗϹ ΤΙ,
ΚΛЄΟϹ: ΗΝ Δ' ΑΠΟΡΗϹ,
ΜΟΝΟϹ ΟΙΔΑϹ. ЄΧЄΙϹ
ΓΑΜΟΝ, ΟΙΚΟϹ ΑΡΙϹΤΟϹ
ЄϹϹЄΤΑΙ: ΟΥ ΓΑΜЄЄΙϹ,
ΖΗϹ ЄΤ' ЄΛΑΦΡΟΤЄ-
ΡΟΝ. ΤЄΚΝΑ ΠΟΘΟϹ:
ΑΦΡΟΝΤΙϹ ΑΠΑΙϹ ΒΙΟϹ:
ΑΙ ΝЄΟΤΗΤЄϹ ΡωΜΑ
ΛЄΑΙ: ΠΟΛΙΑΙ Δ' ЄΜ
ΠΑΛΙΝ ЄΥϹЄΒЄЄϹ.
ΟΥΚ ΑΡΑ ΤωΝ
ΔΙϹϹωΝ ЄΝΟϹ ΑΙΡЄ
ϹΙϹ: Η ΤΟ ΓЄΝЄϹ-
ΘΑΙ, ΜΗΔЄΠΟΤ', Η ΤΟ ΘΑ
ΝЄΙΝ: ΠΑΝΤΑ ΓΑΡ
ЄϹΘΛΑ ΒΙΟΥ.

ωϹ ΤЄΘΝΗΞΟΜЄΝΟϹ ΤωΝ ϹωΝ ΑΓΑΘωΝ ΑΠΟΛΑΥЄ:
ωϹ ΔЄ ΒΙωϹΟΜЄΝΟϹ ΦЄΙΔЄΟ ΤωΝ ΚΤЄΑΝωΝ.
ЄϹΤΙ Δ' ΑΝΗΡ ϹΟΦΟϹ ΟΥΤΟϹ, ΟϹ ΑΜΦω ΤΑΥΤΑ ΝΟΗϹΑϹ,
ΦЄΙΔΟΙ ΚΑΙ ΔΑΠΑΝΗ ΜЄΤΡΟΝ ЄΦΗΡΜΟϹΑΤΟ.

I




EDVCATIO PRIMA BONA SIT.

DEVS optimus maximus conditor & conſervator mundi huius, hominem creavit ad imaginem ſui, vt ab eo cognoſceretur & coleretur. At is per peccatum lapſus, à prima, in qua conditus erat, gratia excidit: illiuſque ruina magna Dei miſericordia per Ieſum Chriſtum generis humani ſervatorem reſtaurata eſt. Naſcimur ſervi peccati, & per Baptiſmum, vera & viua fide Chriſtũ amplexantes, libertati aſſerimur. Neceſſe eſt igitur à primis cunabulis parvulorum ingenia formare, vt ſtatim edoceantur quales ſint. Educatio eſt ſecunda natura. Quamvis inveniantur plurimi, qui parvo cum profectu inſtituantur à præceptoribus alioquin idoneis, tam depravata eſt in nobis ratio. Adamas & gemmæ meliores poliuntur, pumex & tophus nulla arte vindicantur à ſua ruditate & aſperitate. Prima tamen pueri inſtitutio multum ponderis & momenti habet in ſe. Fieri enim non poteſt, vt non afficiatur voce docentis. Quód ſi profectus non reſpondet diligentiæ magiſtri, veriſimile eſt, ſine doctrina illum duplo deteriorem futurum. Dum igitur pueritia inſtitutionem poteſt admittere, nulli parcere labori debent parentes, nullis ſumptibus, vt eorum liberi doctrina ſapientum excolantur, & ad ſtudium virtutis adducantur. imitati ruſticorum induſtriam, qui arbores tenellas regunt, & plicant pro ut expedit. Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.

Franciſco

I.




Franiſco à Vienna Baroni Clerevantij.



VTile virtuti eſt annos aſſueſcere primos,
Et tenerum ſanctis moribus ingenium.
Frangitur incurvanda arbos: virgulta plicantur:
Teſtaque, quo imbuta eſt, fragrat odore diu.

II.



VIRTVTIS TINCTVRA PVDOR.

INgenia puerorum ad virtutem formanda, debent ſtatim à principio modeſtiæ aſſuefieri, & deterreri ab omni labe vitiorũ. Propterea Præceptores diligentes debent in eo incumbere, vt tenellam iſtam ætatem ad pietatis ſtudium, & cultum divinæ maieſtatis adducant ſingulis momentis inculcantes, Deo maximè placere, ſi pueri ſeſe ab omni peccatorum ſorde impollutos ſervent. Quos ſi male aliquid egiſſe, vel audiviſſe pudeat, decens ille rubor, qui Iuventutis enaſcitur genis, virtutis eſt tinctura, & fucus peculiaris. Cuſtos virtutũ omnium dedecus fugiens, & laudem maximam conſequens verecundia eſt. Sine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Propterea illi ætati conceduntur plurima liberius, ita tamen, vt cùm relaxare animos velint iuvenes, & dare ſe iucunditati, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ. Ludendi enim eſt quidam modus retinendus, vt ne nimis ab officio recedant, elatiq; voluptate, in aliquam turpitudinem dilabantur: Exempla domeſtica multùm proderunt. Compoſiti ſint parentum mores ad omnem modeſtiam, pietatem, & virtutem: nihil eſt quod magis moveat liberos, quàm parentum vita. Quòd exemplo illorum fit, id iure fieri putant. Exemplo quodcunque malo committitur: Plerunque enim contingit, vt ſi malè morati ſint adoleſcentes, id primæ ætatis formatoribus meritò imputetur.

Gedeoni

II.




Gedeoni à vienna baroni Copetij.



Virtutis tinctura pudor, probat indole recta
Esse hominem, & castum denotat ingenium.
A vitiis teneram ætatem deterret, et in se
Calcar habet, doceat quod meliora sequi.

III.




VIRGINIS ORNATVS PVDICITIA & ſimplicitas.

DOtem ſplendidam & locupletem filiæ præparant parentes, quam bonis moribus, pietate, & modeſtia cultam eſſe volunt. Pudicitia & ſimplicitas prima pars eſt, & præcipua mundi muliebris. Gemmæ, texta ſerica, aurum, argentũ, & reliqua huius generis ornamenta, lenocinia magis ſunt voluptatum, quàm ornamenta virginum. Veſtium luxus arguit animum parum ſobrium, & intuentium oculos ad libidinem ſollicitat citiùs, quàm ad honeſtam opinionem. Nullo cultu meliùs ornantur virgines, quàm ſimplici. Virtus primum locum occupans in animis virginum, admittet ſecurè cultus neceſſarios, reijciet indignos, & ſuperfluos. Splendidiorem tamen ornatum admittet vna quæque pro ſua conditione & ſtatu, quo vti poterit, non abuti. Æquum enim eſt vt Principum liberi, & nobilium, quos Deus ad Politiæ gubernacula legitimè vocavit, à reliqua plebe differant cultu corporis: Facit ornatus plurimùm ad reuerentiam, quam magiſtratui bono debẽt homines, contemptus pannoſum comitatur. Differant igitur optimates à reliquo vulgo ſplendore veſtium, pro vniuſcuiuſque conditione & ſtatu. Modus eſt optimus, decus ipſum tenere, nec progredi longius. Mediocritas in omnibus neceſſaria eſt, & ad omnem vſum cultumq; vitæ referenda.

Nicoleæ

III.




Nicoleæ à Vienna.

VIRGINIS ORNATVS PVDICITIA ET SIMPLICITAS.



SAt dotata venit quæ casta est corpore virgo:
Inque verecundo cui sedet ore pudor.
Cui nec picta auro vestis, nec murice tincta;
Sed cultus simplex, & nitor arte carens.

IIII.



NEC NIHIL NEC QVIDLIBET.

INterrogatus aliquando Philoſophus quam Rempublicam exiſtimaret meliorem, reſpondit eam eſſe, in qua pietas, & religionis cultus ſanctiſſimè obſervaretur: legesque ita eſſent conſtitutæ, vt ſeveritatem clementia moderaretur, & leniret: eamque eſſe quam Ariſtocratiam vocant: in qua civitas regitur ſapientiorum & meliorum conſilio & imperio. Quam autem peſſimam diceret. Reſpondit tyrannidem: quæ vnius ſolius, ac malè inſtituti plerumque hominis arbitrio ducitur, cuiuſq; conniventia & malo exemplo corrumpuntur civium mores, & per omnem licentiam debacchati impunè quidlibet patrant. Hac ratione arguit moderatione omnia gerenda eſſe. Nam vt ſummum ius ſumma iniuria eſt: vbi nimia Principis ſeveritas, ibi quoque parùm amoris in ſubditis. vbi amor, ibi fides. Ita etiam accidit, vt vbi nimia licentia permittitur, ibi quoque genus omne vitiorũ pullulet, & naſcatur. Quapropter ita legum veneranda maieſtas, & ſeveritas ſervanda eſt, vt ſingula peccata pro temporum, locorũ, & perſonarum circumſtantiis, admiſſorumque qualitate corrigantur: ſocietatisque humanæ vincula retineantur in integrum: neque delinquentium ratio veniæ deſperatione ſubvertatur; hypocriſisque vitiorum omnium mater foveatur.

LIBER-

IIII.



Loidi à Vienna.



QVæ nihil ignoſcunt leges dic eſſe ſeveras;
Et quæ permittunt quidlibet, eſſe malas.
Sic par eſt rerum iuſtas moderentur habenas,
Ne quidvis populo ſit, licitumve nihil.

V.



LIBERTAS VERA EST AFFECTIBVS suis non servire.

NEmo est tam simplex aut rudis, qui servitutem non æstimet esse magnum malum; quique libertatem non præferat magnis vitæ commoditatibus. Quod ad servitutis nomen attinet, omnes in eo consentiunt, ingenuo viro esse intolerabilem: sed servitutis genuinam significationem pauci considerant. Nam multi corpore servi sunt, qui suis dominis liberiores judicari debent. qui propter bonorum affluentiam, supremamque in servos potestatem, tanta autoritate abusi, effrænes per omnem licentiam sese dant pręcipites, patiunturq; se trahi per omne passionum & affectuum inordinatorum genus, superbiæ, luxui, irę odiis, voluptatibus, & eiusmodi monstris serviliter subjecti, ut suorum vitiorum mancipia verè dici possint: Multi sunt qui etiamsi bona præditi sint anima, & bonis moribus optimè eruditi, præstigiis aulicis ita se fascinari permittunt, & deliciis mancipari, ut magnatum vanitati inserviant, & applaudant ita, ut ne horulam suæ quieti liberam relinquāt. Quicunque illam auream mediocritatem diligens, prudenter suos affectus librat, & ad amussim regit, & cor suum ab omni excessu repurgat, ratione studioque moderatur animi passiones, is vera libertate frui dicendus est.

Mariæ

V.




Mariæ à Vienna.

LIBERTAS VERA EST AFFECTIBVS NON SERVIRE.



Affectus quicunque suos sic vincit, ut illos
Temperet, & studio vel ratione domet,
Iure potest liber dici, nullumque subire
Servitium, & vera nobilitate frui.

VI.



DOMAT OMNIA VIRTVS.

QVicquid videmus, æstimamus, & admiramur, in hoc orbe terrarum, caducum est, & corruptioni subjectum. Imperia, regna, principatus, dignitates, divitiæ, vires, pulchritudo, & cætera ejusmodi tempore florent, & tempore effluunt, & pereunt. Nihil est homini relictũ perpetuum. Ita voluit providentia Divina, ut nos à terrenis abstractos, ad cœlestiũ contemplationem perduceret. Domat omnia virtus. Nihil tam solidum, nihil tam firmum, quod à virtute sejunctum non labet, & sua mole ruat; Sola virtus semper sui similis, & nulli injuriæ succumbit: æternitatis filia, gloriã pedissequam ducens, sicut umbram corpus. Ea sola nobilitat, ditat, fortificat, illustrat & ornat suum sectatorem: non ad horam, diem, vel annum; sed ad posteritatem illius honestam producens memoriam; famam dilatat, & gloriam stabilit perpetuam, imo donat immortalitate. Quæcunque autem extra virtutem acquiruntur, ea bullæ instar aquosæ tumescentia, momento temporis durant; & subitò evanescunt, inque nihilum rediguntur. Virtus enim est affectio animi constans, conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est: & ipsa est per se sua sponte, separata tamen utilitate, laudabilis: ex ea proficiscuntur honestæ voluntates, sententiæ, consilia, omnisque recta actio.

Claudio

VI.




Claudio Antonio à Vienna Baroni Clerevantis Copetii, &c.



Nil juvat injuſtis quæſita potentia bellis:
Nil genus, aut cauta fraude paratus honos.
Tempore vaneſcunt ſubito hæc: domat omnia virtus,
Et pulchra mentis nobile conſilium.

VII.



PRÆMIVM VIRTVTIS HONOS.

Virtutem necessariò gloria sequitur. Nihil est ea pulchrius, nihil amabilius; suscepit vita, consuetudoque communis, ut virtute excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollamus: & quæ per virtutem magno animo & elato, fortiter & excellenter gesta sunt, ea nescio quo modo quasi pleno ore laudamus. Quis est qui non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis? Vera laus veræ virtuti debetur. Bonus vir propriè & copiosè laudari sine virtutum cognitione non potest. Eos quorũ vita perspecta est in rebus honestis & magnis, & benè de republica meritos, observare & colere solemus. Digna est ipsa virtus gloriatione; tantumque præstat cæteris rebus, ut dici vix possit quid intersit. Altissimum enim locum in homine, & maximè excellentem tenet: tantoque in dominatu locatur, vt omnia prima naturæ hujus tutelæ subjiciantur. In ea satis præsidii est ad benè vivendum, satis etiam ad beatè; satis ut fortiter vivamus, etiã vt magno animo, & quidẽ ut nulla re egeamus, semperque simus invicti. Sequitur ut nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet. Ea nec eripi, nec surripi potest: naufragio neque incendio amittitur, neque temporum permutatione mutatur: nulla vi labe factari potest, nec loco dimoveri.

Catharinæ

VII.




Catharinæ Heviæ. Claudii Ant. à Vienna conjugi.

PRÆMIVM VIRTVTIS HONOS.



Laudatos quoties sapiens admittit honores;
Præmia virtuti debita jure petit.
Nutrit honos artes; & virtus crescit honore:
Laudibus & dignum fit sine honore nihil.

VIII.



FAMA VIRTVTIS STIMVLVS.

BOna fama divitiis ingentibus longè eſt præſtantior. Nõ eſt res ulla tanti, aut commodum ullum ita expetendum, ut viri boni ſplendorem & famam amittas. Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti: Eſt hominis ingenui, & liberaliter educati, velle benè audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris; & futuræ poſt mortem famæ, etiam detracto vſu, conſulendum eſt: danda eſt diligenter opera, vt hominum aures optimo de nobis ſermone compleantur. Bona exiſtimatio pecuniis præſtat, antiquiorque fit poſſeſsionibus gloria. Iactura rei facilè ſarciri poteſt, fama contaminata vix unquam diluitur. Eximiam virtutẽ honeſta fama ultro comitatur: ac generoſis animis amor laudum veluti ſtimulus ad præclara facinora innatus eſt. Sequitur fama fugientem, & ob id ipſum avidius expetitur ab iis, qui virtutẽ colunt: quæ non rapitur ut præda, ſed tanquam præmium virtuti debitum. Hanc quiſquis per contemptum negligit, aut rejicit, is quoq; ſegniter, & cum faſtidio virtutem ſequi ſe arguit. Non ſolùm enim honos alit artes, verum & virtutem.

Ioanni

VIII.

Ioanni Comiti Ringravio.

FAMA VIRTVTIS STIMVLVS.



Virtutem ſtimulis urgendo fama ſuperſtes
Excitat, atque alacres reddit ad arma manus.
Et qui omnem tetrico vultu faſtidit honorem,
Is quoque virtutem ſegniùs inſequitur.

IX.




VITA VIRTVTIS EXPERS MORte pejor.

NAtura dedit omnibus hominibus ſine diſcrimine vivendi beneficium, ſed benè vivendi munus, ſola virtus largitur. Vita non ſolùm bonis, verùm etiam malis communis eſt. Quæ verè vita dici debet, ſoli virtutis ſectatori à Deo Patre luminum conceditur. Vita virtutis expers vita non eſt, imo ipſa morte pejor debet æſtimari. Qui virtute præditi ſunt, ii immortalitatẽ aſſequuntur: Nulla nobilitas conſtare poteſt ſine virtute: imo ſine ea, vita non poteſt dici vita. Qui nihil aliud habet, quàm majorum ſtemmata & imagines, opinione nobilis eſt veriùs, quàm re. At qui virtute præditus eſt, unde manat omnis glorię ſplendor, germanam ac nativam habet nobilitatem. Nobilitas ſola eſt atque vnica virtus. Cumque illius laus omnis in actione conſiſtat; verbis non ſpectabitur, ſed re ipſa: Virtutis hoc eſt proprium, æqualem ac parem verbis vitam agere; atque ita vivere, vt omnis oratio moribus cõſonet: Stultè præcipit aliis honeſtam vitæ rationem, qui quæ aliis præcipit verbis, ab iis ipſa re, & operibus alienum ſe probat. Vna enim actio virum bonum non indicat, Sed per totam vitam conſtans, ſuique ſemper ſimilis virtus.

Ioanni

IX.




Ioanni Casimiro Comiti Ringravio.

VITA VIRTVTIS EXPERS MORTE PEIOR.



Vivere dat Natura homini, bene vivere virtus:
Id commune malis, hoc solet esse bonis.
Expertem virtutis agunt mala plurima vitam:
Languet, & assidua condita morte jacet.

X.



ΟΥΤ' ΑΡΕΤΗ ΑΤΕΡ ΟΛΒΟΥ ΕΠΙΣΤΑ.

ETiamsi virtutis splendor, suos non aliunde, quàm à seipsa radios acquirat, certum tamen est languere virtutem sub paupere tecto: virumque licet bene natum & institutũ, si paupertate prematur, facilè degenerare; & quasi paulatim prolabi in viam vitiorum: ad quam inducitur, & quasi humeris protenditur indigentia, quæ illum apud omnes reddit inglorium & ridiculũ, illius verbis autoritatem adimit & persuasionem; famam imminuit, & contemptum efficit. Quod seculi corrupti contingit injuria; in quo primum locum obtinent divitiæ. Hæ solæ virum bonum faciunt, etiamsi vitiis omnibus contaminatus sit. Dives quicunque est, statim pius, bonus, nobilis, illustris & gratiosus omnibus judicabitur. Opes hodie cœlos aperiunt, inferos claudunt, stultis autoritatem, prophanis honorem conciliant: expugnant urbes, leges corrumpunt, pudicitiam ac fidem prostituunt. Nemo bonus est nisi qui bonis abundat. Multa ingenia candida, integra, & erudita, sive literarum studiis; sive rei militaris peritia, possent quasi alis ad sidera deferri, sed eorum promptitudo compedibus paupertatis in pulvere coercetur; à quibus moveri, aut sese expedire non possunt, nisi stimulus indigentiæ pungantur.

Othoni

X.




Othoni Comiti Ringravio.

ΟΥΤ ΑΡΕΤΗ ΑΤΕΡ ΟΛΒΟΥ ΕΠΙΣΤΑ.



HAud facile emergunt qui paupertate premuntur:
Quos retinet, tanquam compede, tetra fames.
Immodicis opibus virtus non gaudet: at illa
Degeneri sordet subruta pauperie.

XI.



HISTORIA VIRTVS FIT SPLENdidior.

VT clipeus ex lucido politoque chalibe conflatus, si radiis exponatur solaribus, suum duplicat splendorem, quem longè lateque in circunjacētia loca diffundit: haud secus contingit viro virtutibus, ac rebus egregiè gestis illustri: cujus nomen per se satis clarum, si luci committatur historiæ, acquirit duplices radios, quos undique diffusos historica eloquentia transmittit ad posteritatem. Multum est hominem dotatum esse à Deo immortali pietate, justicia, magnanimitate, temperantia, prudentia, aliisque virtutibus quæ magnos reddunt viros, eosque Deo similes efficiunt. Qualitates tamen hæ multo redduntur commendatiores, dum sortiuntur historiographum, tantis dotibus describendis idoneum. Possunt enim fulgetris & tonitruis cœli comparari, quæ certis audiuntur videnturq; momentis, subitò tamē evanescunt, nullo in nubibus sui relicto indicio, quo probentur aliquando effulsisse. Benè consultum à Diis immortalibus fuisse Achilli dicebat Alexander Macedo, qui Homerum præconem suarū virtutum nactus esset. Difficilimum est partam retinere fortunam, ne mutetur. Nec minor est virtus quàm quærere, parta tueri.

Paulo

XI.


Paulo Melisso Com. Palat. Civi Roman.

HISTORIA VIRTVS FIT SPLENDIDIOR.



EGregius frustra virtus se bellica gestis
Inflat. & ad laudes nititur ire suas.
Nî scriptis vulgata ejus sit fama per orbem,
Et fiat radiis clarior historiæ.

XII.



CONSOLATIO VIVIS, VITA mortuis.

QVantas laudes mereatur bonarum ſcientiarum cognitio, verbis exprimi non poteſt. Iuvenum enim ſtudia agunt, ſenectutẽ oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, nõn impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur: Quos ſi ipſi neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſumus, tamen eas mirari debemus cùm in aliis videamus. Nullus enim civis egregius fieri poteſt, qui non ſit in bonis diſciplinis eruditus. Multi cùm in poteſtate eſſent hoſtium ac tyrannornm, multi cùm in cuſtodia, multi in exilio, dolorem ſuum doctrinæ ſtudio levarunt. Quis in eo ſummè elaborandum non arbitretur, ut quo uno homines beſtiis præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat? Doctrina mores eſſe non ſinit feros. Mortalibus doctrina honori eſt omnibus. Vir literatus duplo acutiùs videt. Sapiens ſuas ubiq; circumfert opes. Precioſior enim ipſis opibus eſt ſapientia. Portus infelicitatis doctrina eſt mortalibus. Vita hominis ſine literis mors eſt, & hominis ſepultura: Opes & cætera vitæ hujus commoda, collatione facta cum doctrina, nihil ſunt. His literati quantum neceſſitas requirit vtuntur. Sed ſcientiarum theſauros accumulant. certiſſimum in rebus proſperis ornamentum, in adverſis præſidium: Et ex quibus fama immortalis, vitaque à funere propagari videtur.

Petro


XII.

Petro Gualtero Chabbotio Pictavo.



PRæter mille homini quæ portant commoda Musæ,
Solamen vitæ, præsidiumque gerunt.
Et tollunt nigro servatam à funere famam,
Docto etiam invita vivere, morte datur.

XIII.




NEMO FORTIS NISI ET IVSTVS.


FOrtitudo & magnanimitas virtutes sunt verè regiæ; neque cadere possunt, nisi in animam generosam. Majestas dignitasque regia non vestium splendore, sed prudentia ac fortitudine paranda est. Illi fortes non sunt, qui quovis modo vitam contemnunt, sed qui tanti faciunt virtutem, ut hujus gratia vitam alioqui charam negligant. Fortium virorum est suis affectibus repugnare, justitiam colere, & fortunæ procellas impavido animo perferre. Animus fortis cupiditatum tumultus ratione cõpescit. Excelsi & fortis animi est ingratitudine non deterreri à studio benè merendi de omnibus. Magnanimum arguit hominem constans in adversis tolerantia: Fortis animi est mortem cõtemnere, quoties aut inevitabilis necessitas urget, aut causa gravis & honesta suadet. Egregium imperterriti fortisque pectoris est documentum, in causa honesta piaque, nec certam mortem perhorrescere. Magnum faciunt res adversæ, secundæ felicem. Crescit in adversis virtus. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium non tantùm non conculcare jacentem, sed etiam àdjuvare, fortis est viri, quem non solùm magnis comparo, sed deo simillimum judico.

Petro

XIII.




Petro Lepido Metensi.



NEmo potest dici fortis nisi justus: & idem
Mutuet à sancta robora justicia.
Fortis enim justi officio persistit & instat:
Servat uterque bonos, perdit vterque malos.

XIIII.



ΑΡΕΤΗΣ ΣΚΙΑ ΦΘΟΝΟΣ.

VIrtutis comes invidia, plerunque bonos insectatur. Mos enim est hominum, vt nullius laudem tolerent libenter, neque eundem reliquis excellere: invidetur autẽ virtuti, præstanti, florentiq; fortunæ. At invidia virtute parta molesta esse non debet forti viro: cujus virtus hoc modo excitatior redditur, & ad omne bonum opus magis idonea. invidia virtutem sectatur, ut umbra corpus. Hujus vexatione, & punctione redditur vigil, perpetuò excubat in sui defensionem, cogiturque illius stimulis rectæ viæ insistere, & per mille labores progredi ad inaccessum illud gloriæ propugnaculum: quò cùm pervenit, securitati se dat perpetuæ: iis enim qui in vita sunt, si quid laude dignum egerint, iis obstat invidia: post funera ut plurimùm minùs severè se in defunctos gerit. Compertũ invidiam est extremo fine domari. Virtus abunde sui est præmium, quicunque sequatur eventus. Laudibus humanis virtus non eget, ducit enim secum laudem suam & decus. Qui rectè & honestè curriculum vivendi à natura datum confecerit, hunc virtus, invidia superata, immortalem reddit.

Iacobo

XIIII.




Iacobo Santalbino Trecensi Medico.

ΑΡΕΤΗϹ ϹΚΙΑ ΦΘΟΝΟϹ.



VMbram habet omne suam corpus: sequiturque, praitque:
Sic secum virtus attrahit invidiam.
Invidiam sine qua virtus torpescit: at illi
Ad laudem stimulos suggerit invidia.

XV.




OMNE BONVM OPVS INVIDIAM ſentit.

ARanea ex eodem flore ſuum ſugit venenum, ex quo apis ſedula dulce nectar conficit. Invidus araneæ naturam ſecutus, ab iiſdem actionibus optimis, quibus vir bonus laudem meretur, ſuam conflat & texit calumniam; ut plurimùm prætextu pietatis & charitatis innocentem opprimens: quod hodie fieri magno bonorum omnium dolore experimur. Nihil enim eſt tam ſanctum, tam ſincerum, quod invidiæ morſibus non ſit ſubjectum; cùm mali ſuis uacantes odiis & paſſionibus, ſub larva virtutis injurioſi ſint juſtitiæ ſectatoribus. Virtus verò, quæ placida eſt & manſueta, ſibi ſuæ conſcia integritatis ſiniſtrum Livoris judicium ridet, & procul à ſe removet, invidum magis dignum miſericordia judicans, quàm ira. Si optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita nobis conſcientia fuerit, ſine ullo metu ſumma cum honeſtate vivemus. Conſcientia rectè voluntatis, maxima conſolatio eſt in adverſis. Nec bono quicquam mali evenire poteſt, nec vivo nec mortuo; nec vnquam à Deo immortali ejus res negliguntur; neque invidiæ fraudibus in tranſverſum detorquentur.

Odoard-

XV.




Odoardo Bizeto Charlæo Trecensi.



Toxica ab hoc carpit sublimis aranea flore,
Dulcia quo parvæ mella parantur api.
Sic quoque virtutem, scelerata calumnia, carpis:
Et quod in hac damnes, improbe livor, habes.

XVI.



ANTIQVA NOVIS SEMPER PRÆfert livor.

DVm vir meliore ingenio prȩditus inter homines vivit, non est quòd suæ virtutis præmium expectet integrum. id rarò ante mortem cuiquam accidit, vt calumnias malorum suæ virtuti insidiantes non senserit. Virtutem præsentem odimus, absentem quærimus invidi. Mos est hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Non enim invidetur, nisi præstanti florentique fortunæ. Invidentia nihil aliud est, quàm ægritudo ex alterius rebus secundis. Virtuti & gloriæ maximè invideri solet. Est hujus sæculi labes quædam & macula, Virtuti præsenti invidere, ac dignitatis illius florem infringere velle. Sed præter culpam & peccatum, homini accidere nihil potest, quod sit horribile aut pertimescendum. Si virtus dormiat, excitatur ab invidia: præstoque adest Princeps fortitudo, quæ bonũ virum tanto animo esse coget, ut omnia quæ possint homini evenire contemnat, & pro nihilo putet. Naturale hoc est vitium, splendorem alienum non ferre patienter, semperque absentia præsentibus, antiqua novis præferre: Et quò quis magis est stolidus, eò magis temerariè de ignotis ferre judicium solet.

Ioanni

XVI.




Ioanni Posthio Archiatro Palatino.



GLoria rara venit meritis dum vivimus. ipsa
Tum primùm à summo funere fama venit.
Posthabet antiquis noua livor, & obstrepit ultro.
In scirpo nodum quæret, & inveniet.

XVII.



VIRTVS INVIDIA FIT EXCItatior.

MAlum & deteſtabile eſt vitium invidiæ: quod tamen non ſine commodo & aliquo emolumento contingit. Nam præter id quod non minùs aliena felicitate diſcruciatur invidus, quàm ſuo infortunio; in cauſa eſt cur vir bonus circumſpectiùs ſeſe gerat in omnibus vitæ actionibus. Contingit ſæpius invido, vt ſua calumnia obrutus, infamis reddatur: Et qui fragili quærit illidere dentem, infringat ſolido. Imprudenter is in alterum torquet vitium, ſi in promptu eſt quod ipſi viciſſim objiciatur. Maledicentia ea contemnenda eſt, quæ non à judicio, ſed à lingua Maledica injuriosè proficiſcitur. Excellentium virorũ eſt, negligere contumeliam, quæ à palam improbis & invidis venit: à quibus etiam laudari turpe eſt. Si lædatur vir bonus invidiæ dolis, æquo animo ferre debet: cùm habeat conſcientiam integram: Nihil eſt meliùs, quàm memoria rectè factorum, & libertate contentum, negligere humana. Ita vir prudens omnes totius vitæ componit actiones, ut de ſingulis rationem, ſi opus ſit, poſſit reddere: Et cenſuram malorum quamvis difficilem, ferat tamen æquo animo.

Abraha-

XVII.




Abrahamo Ortelio Cosmographo.



Excitat invidiam virtus: perstringit at illa,
Corrigit & quicquid segniùs ista facit.
Hujus censura virtus viget, excita ad omne
Quod cura & studiis aggrediatur opus.

XVIII.



VIRTVS PRESSA VALENTIOR.

INter reliquas arbores, Palma victoriæ ſymbolo tribuitur: propterea quod pondus ſuperpoſitũ aut dejiciat inſurgens, aut frangatur: Cùm alioqui illius rami, longè ac latè ſeſe extẽdant, gratum viatoribus præbentes umbraculum. Propterea virtuti dicata eſt, quæ generosè contrariis obſtat & repugnat. Vir fortis & magnanimus natura mitis eſt, humanus & tractabilis, promptus ad opem ferendã afflictis: at in oppreſſores & violentos inſurgit animosè, & quibus poteſt viribus illos proſequitur, urget, & atterit. Qui generoſo eſt animo, & res magnas molitur, & ſuæ Reipublicæ neceſſarias, nullum ſcopum ſibi proponit alium, niſi ut rem prudenti conſilio ſuſceptam maturè perficiat, omne periculum, quod illum ab officio deterrere poteſt, contemnens. Quod exemplo ſuo comprobarunt M. Attilius Regulus, & Themiſtocles. Ille dum à Cartaginenſibus captus eſſet, miſſus eſt Romam cum legatis, qui de permutatione captivorum apud Senatum agerent. Sed cùm præcipuam juventutem hoſtium captivam Romę videret, utilitati publicæ ſuam vitam poſtponens, ſuaſit cõtrarium. Themiſtocles quoq; ab ingratis civibus Athenis expulſus, ad Perſas fugit; à quibus magnis copiis præfectus in Græcos miſſus eſt: ſed ne quid impium moliretur in patriam, hauſto tauri ſanguine, mortem ſibi conſcivit.

Dionyſio

XVIII.




Dionysio Lebæo Bathillio Tricaſſino. I.C.

VIRTVS PRESSA VALENTIOR.

Pondere preſſa gravi fit palma valentior: atque
Impoſitum duplici robore pulſat onus.
Et generoſa malis non cedunt pectora: ſed quas
Objiciant viris hoſtibus intus habent.

XIX.



VIR BONVS INVIDIÆ SECVRVS.

QVamvis virtus, felixque rerum ſucceſſus, & proſpera floreñſque fortuna, livoris injuriæ ſemper ſit obnoxia: certum tamen eſt homini bono & integro nihil accidere poſſe, quod illum ab officio divertat. Malevoli intactum nihil relinquunt, nihil intentatum, quò boni viri famam aut expungāt, aut illi ſaltem notam inurant: at boni viri famam aut expungant, aut illi ſaltem notam inurant: at boni, cùm aliquid clementer, manſuetè, iuſtè, rectè, moderatè, ſapienter factum legunt, aut audiũt, magno ſtudio incendũtur, ut eos etiam quos nunquam viderunt diligāt. Quis eſt qui non admiretur ſplendorem pulchritudinemque virtutis? Habet hoc præclara virtus, vt viros fortes ſpecies ejus & pulchritudo in hoſte poſita delectet; ignavos verò torqueat & cruciet invidia. Omnia enim quæ in hominem cadere poſſunt, ſubter ſe habet virtus: eaque deſpiciens, caſus contemnit humanos: culpaque omni carens, præter ſeipſam nihil cenſet ad ſe pertinere. Illi non multum poteſt obeſſe invidia, qui ſibi firmius in virtute, quàm in caſu præſidium collocavit. Nam omnes vivendi rationes in virtute ſunt collocandæ: propterea quod ſola virtus in ſua poteſtate eſt: Omnia præter eam, ſubjecta ſunt fortunæ dominationi.

Ioanni

XIX.




Ioanni Durantio. I.C.

VIR BONVS INVIDIÆ SECVRVS.

19

Fama per ingenuas quæsita laboribus artes
Lucida neglecta sidera tangit humo.
Quæ colis ima tene, comes invide livor honesti.
Illæsa à telis evolat alta tuis.

XX.




LIVOR TABIFICVM MALIS VENENUM.

OMne peccatum vitioſo homini aliquam ſpeciem utilitatis aut delectationis adferre videtur. Fur ex ſuis rapinis emolumenta ſua facere ſe credit, & ſuas facultates augere. Qui inimicitiis & iræ ſuæ indulget, in eum quē odit ſæviens, ſuam explet inclementiam. Libidinoſus, ſi ſuis amoribus potiatur, feliciſſimum omnium hominum ſe aſſerit: multi inveniuntur qui voluptatibus vitam poſthabuere. Piger, cùm otio & luxu diffluit, nonne ſe Deorum vitam æmulari jactitat. Et qui gulæ deditus eſt, quis eum credat velle ſuam turpitudinem, effrænesque ventris cupiditates cum omni Philoſophiæ ſtudio permutare? Ita de omnibus vitiis judicari poteſt. Sola invidia ſibi ipſi ſupplicium eſt, gehenna, & carnificina: ſuo veneno marceſcit, cor ſuum rodit & conficit. Nihilque in ſuis cruciatibus conſolationis recipit, niſi brevem, ac cito euaneſcentem in alieno infortunio lætitiam: quod exiguum eſt lucellum, ſi cōferatur cum eo dolore, quo ringitur & conficitur ex felici fortuna eorum quibus invidet. Invidia Siculi non invenere tyranni majus tormentum. Probè hoc à Diis immortalibus comparatum eſt, ut invidus ſuo veneno contabeſcat, ſibique ſupplicium adſtruat.

Domitio

XX.




Domitio Faino Veronensi.



OMne malos vitium juvat, aut delectat: habetque
Quas ad perniciem conferat illecebras.
Sola sibi pestem diris cruciatibus infert:
Suppliciumque sibi concitat invidia.

XXI.



PRVDENTER TEMPORE ET loco.

PRudentia est rerum expetendarum scientia. In qua duo vitia plerunque inveniuntur. Vnum, cùm incognita pro cognitis habemus, iisque temerè assentimur. Quod qui volet effugere, ad res considerandas, adhibere debet & tempus & diligentiam. Alterum vitium est cùm nimis magnum studium, multamque operam, in res obscuras & difficiles conferimus, easque non necessarias. Cùm autem hæc virtus maximè sit accommodata societati humanæ; prudentem virum non oportet esse morosum, non difficilem, neque alienæ simplicitatis contemptorem. Sed ut proximo prosit, sese quàm potest aptissimè, accommodabit; nunc severitatem comitate leniet, nunc tristitiam lætitia moderabitur: omnesque actiones tempori & loco congruas reddet. Est ubi loquendum severiùs, est ubi blandiùs, est ubi magnificentiùs, est ubi submissiùs, est ubi jucundiùs, est ubi duriùs. id si fiat citra perfidiam, prudentia est; quæ tutissimus est murus: neque enim collabitur, neque proditur. Multa sunt incommoda in vita, quæ sapientes commodorum compensatione leniunt. Stulti & imprudentes nec vitare venientia possunt, nec ferre præsentia.

Friderico

XXI.




Friderico Sylburgio.

PRVDENTER TEMPORE ET LOCO.

ΒΟΥΛΗΝ ΔΕ ΠΑΝΤΟϹ ΠΡΑΓΜΑΤΟϹ ΠΡΟΛΑΜΒΑΝΕ· ΒΟΥΛΗϹ ΓΑΡ ΟΡΘΗϹ ΟΥΔΕΝ ΑϹΦΑΛΕϹΤΕΡΟΝ.

Qvod gerit hæc larvam, non est ut fallat: at illa
Aptat personam casibus atque locis.
Læta est & tristis, quoties occasio poscit:
Temporibus vultus commodat illa suos.

XXII.



SAT CITO SI SAT BENE.

NVllum animæ frænum potentius dare possumus, quàm prudẽtiam: quæ nullo alio modo efficatiùs regitur, quàm consilio & ratione. Huic temeritas est contraria. Priusquam rem aggrediaris, cõsulito; vbi consulueris; maturè facto opus est. In captandis consiliis, festinatio, rationis inimica, mentis perstringit oculos. At istud est sapere, non quod ante pedes modò est videre, sed etiã illa quæ futura sunt prospicere. Quod præcipiti via certum deserit ordinem, lætos non habet exitus. Festinandum est, sed lentè. Non potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis çeleriter est maturitatem assecutum. Etsi utile est subitò sæpe dicere & agere; tamẽ illud utilius, sumpto spatio ad agitandum paratiùs atque accuratiùs dicere & agere. in rebus gerendis nũquam consideratur quàm citò, sed quàm benè. Non potest is verum à falso discernere, qui inconsideratè, dum non opus est, rem aggreditur: tantoque periculosior est celeritas imprudens, in rebus magnis, quòd earum exitus est periculosior, ruina major, & potentia longissima. Vt quisque maximè perspicit quid in quaque re verissimum sit; quiq; acutissimè & celerrimè potest videre & explicare rationem, is prudentissimus ritè haberi potest.

Francisco

XXII.




Francisco Loysio Medico.



AGgreditur quisquis peragendum opus, esse videndum
Noverit, ut benè rem, non cito ut expediat.
Discat is à tarda lentum testudine gressum;
Et simul à celeri papilione levem.

XXIII.



EVENTVS STVLTORVM MAgister.

TEmeritas ſtultitiam comitatur; citiusque inconſultum hominem præcipitat in periculum, quàm animadvertat. At ſeræ ſunt hominum lamentationes, prorſuſque vituperandæ, quas occupatas in iis lugendis cernimus, quæ vitio ſuo & inconſiderantia contigerunt. Ita fit ut eventus ſit ſtultorum magiſter, qui nunquam niſi icti ſapiunt. Turpiſſimum eſt eum, qui ad Rempublicam adminiſtrandam vocatur, temeritatis & imprudentiæ redargui. quæ vitia ſine magno periculo ciuitatis in eum qui magiſtratum gerit, non cadit: fitque ſæpius ut imprudens non ſolùm ſuæ fatuitatis, & inanimadvertentiæ pœnas gerat, ſed totam civitatem in cõmune trahat excidium. Neque ſatis tutum eſt priuſquam initium rectè conſideraveris, de exitu conſilium capere. Præterita reprehendi poſſunt, corrigi non poſſunt. Scitum eſt, periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu ſiet. Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus adverſos formidant. Omnes, cùm ſecundæ res ſunt, tum maximè ſecum meditari oportet quo pacto adverſam ærumnam ferant. Serò ſapiunt, qui imprudentia ſua in periculum lapſi, pœnitentia & dolore ſeſe cruciant.
Stulti enim eſt dicere non
putabam.

Reutilio

XXIII.




Reutilio Saravesæ. I. C.



HÆc docuit primæ tentare in flore juventæ,
Cùm tibi tot palmas detulit alta Croton.
Quæ doceat serò, turpi discenda pudore,
Stultorum euentus multa magister habet.

XXIIII.



STVDIO ET VIGILANTIA.

SI ſuperfluæ ſollicitudines vituperandæ ſunt, negligentia quoque aliud extremum vitium non minorem meretur reprehenſionẽ. Vita enim hominis nihil aliud eſſe debet, quàm aſſidua occupatio circa res pias, honeſtas, & neceſſarias, tam publico ſtatui, quàm privato. Inter ea autem quibus ſeſe præclara ingenia debent occupare, Philoſophia, liberaliumque artium ſcientiæ primum locum habere debent: quòd ex iis comparetur animorum inſtructio, & eruditio, morum præcipua: quibus rebus nihil eſt quod meritò præferri poſſit. Nam cùm Philoſophiæ partes variæ ſint; una de vita & moribus tractat: alia creatarum rerum naturam & ordinem docet: tertia diſſerit rationibus quid verum & quid falſum ſit, quid rectum aut pravum. Quæ ſingula in ſe habent ſatis quod ad benè formandum hominis animum faciat; & delectationem ſummam pariat. Tota enim frugifera eſt, tota utilis, & voluptate plena. Ea enim hominem primùm ad Dei cultũ, tum ad modeſtiam, magnitudinemq; animi erudit: eademq; ab animo, tanquam ab oculis, caliginẽ depellit: Talis eſt Philoſophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis poſſit ſine moleſtia degere. At in ea conquirenda, ſtudio & vigilantia eſt opus: aſſiduo parta labore venit.

Iacobo

XXIIII.




Iacobo Paſchario Medico.



Magnificas ſecum ſtudium & vigilantia laudes
Promovet, armigeræ præmia grata Deæ.
Quod criſtata notat torva ſuper ægide caßis,
Noctuaque aggeſtos quæ premit ungue libros.

XXV.



LABOR OMNIA VINCIT.

DEus nobis omnia vendit labore. Nihil est tã difficile, quod pertinaci labore non possit evinci. Exercitium potest omnia. Et quæ laboriosa sunt juventuti studia, hæc sunt jucunda senectuti otia. Si quid enim feceris cum labore, labor abit, honestum verò remanet. Sed si quid turpe cum voluptate, turpitudo manet, voluptas abit. Vigilando, agendo, & benè consulendo, prosperè omnia cedũt. Quapropter necesse est primam statim ætatem laboribus honestis assuefieri, eamq; ad fugiendum segniciem hortari, quæ mater est omnium vitiorum. hæc non solùm morborũ genera plurima secum trahit, sed etiam ignominiam, & paupertatem. in cujus rete ignavus dormiendo securè, nihilq; tale cogitans involvitur; unde se nunquam potis est extricare. Blando desidiæ veneno, virtus paulatim evicta senescit. Otium & luxus in juvenibus stultitia est, in senibus verò crimen. Otium omnia mala docet adolescentes. Otium pulvinar Sathanæ. Qui studet optatam cursu contingere metam, multa tulit, fecitq; puer sudavit. & alsit. Dum vires sunt integræ nulli labori parcendum, ut aliquando senes laborum messem colligamus. Spe otii sustentatur labor: & laboris condimentum est otium.

Ioanni

XXV.




Ioanni Lobbetio. I. C.

LABOR OMNIA VINCIT.



Nil tam difficile est, cui non labor imperet: ut non
Aßidua cogi sedulitate queat.
Congerit incassum stultos ignavia questus:
Prætexat culpæ quod piger omnis habet.

XXVI.



PACE VIGENT ARTES.

PAx donum Dei eſt, quod nobis cœlitus mittitur benigna Dei clementia. Pace non ſolùm rerum omnium vbertas fœcunda replet urbes, ſed ea vigente pietas colitur, legum majeſtas & reverentia ſtabilitur, exercetur Iuſticia, vitia, & malorum refrænatur licentia: ſcientiæ docentur, bonarum artium ſtudia florent; commercia cum peregrinis ſervantur. Vrbes ſtructurarum & ædium magnificentia exornãtur, & ingenioſis poliuntur inventis; totaque vita humana, & ſocietas inter homines commodis & jucunditate repletur. Neque ſine cauſa Iovis filia vocata eſt. cùm nihil à Deo immortali ad conſervationem generis humani nobis conferatur magis dulce, magis neceſſarium, pace, & tranquillitate publica: Nihil enim eſt aliud pax, quàm tranquilla libertas: cujus nomen reipſa tum jucundum eſt, tum ſalutare: Ea ſublata, leges & judicia ſervari non poſſunt integra, bonæ artes exerceri, juvẽtus inſtrui. Denique ea vitiata aut everſa, omnes ſocietatis humanę nervi debilitantur, aut prorſus infringuntur. Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes. Nulla fides pietaſque viris qui bella ſequuntur. Bellis boni corrumpuntur mores, efferantur animi, & omnis diſciplina vitiatur.

Ioanni

XXVI.




Ioanni Posthio Archiatro Pal.



Pace vigent artes: aras pax thure vaporat.
Pax cererem & Bacchum promovet atque fovet.
Filia pax Iovis est: & Divum munera nobis
Dispensat: placida pace beatus homo est.

XXVII.



INVITUM QUI SERVAT IDEM FAcit occidenti.

GLadio ignem ne fodito, inquit Pythagoras: flamma enim gladio involuta gliſcens, uno momento tenentis invadit manum. Hoc præcepto annuit ira percitum non eſſe ſeveriùs reprehendendum. Ira furor brevis eſt. qua qui correpti ſunt, judicium ac mentem amittunt. Et ut plurimùm qui hoc furore percelluntur, ab eo vel ſine profectu, vel cum periculo revocantur à benè monentibus. Vbi deeſt mens, diſciplina nihil juvat. Mala perpetrare cogit ira plurima. Et haud tuta in ira conſilia capi queunt. Prudentis eſt aliquando reprehenſione uti. hoc docet charitas, hoc jubet amicitia, & humaniores affectus, qui proximi conſervationem procurant. In omni tamen reprehenſione ſexus, ætas, tempus, & conditio illius quem moneas conſideranda ſunt. Sic juniorem tanquam filium; Seniorem tanquam patrem; æqualem ut amicum; potentiorem verò majori judicio alloquere: amaritudinem reprehenſionis multa præfatione & reverentia leniendo, ut benignioribus & attentioribus audiat, quæ dices, auribus. omnia ad ædificationem proximi ſunt referenda. charitas nobis ſcopus ſit. Pervicacem verò & moribus perditum quòd cures nihil eſt. Aſino ſcabioſo, & fœdato ſordibus, ſi laves caput, operam cum lixivio perdes.

Lentulo

XXVII.


Lentulo Ventidio Nucerino. I. C.

INVITVM QVI SERVAT IDEM FACIT OCCIDENTI.



IGnem ne gladio fodito: furor haud habet aures.
Servare invitum maxima stultitia est.
Sic refragantem è scopulo detrudit asellum
Rusticus: ingratum nil benefacta juvant.

XXVIII.




VIR MALVS ALIENO DAMNO ſuam rem facit.

NE cum viro unquam carpito viam improbo. Nec te mali viri ſocietas delectet. Mala mens, malus animus. Doloſum & malæ mentis virum nemo ſine noxa aut ignominia evadit. Multi ſimulatione virtutis efficatiùs lædunt, quàm ſi improbi agnoſcerentur ab omnibus. Ab his cavetur ſedulò, ab illis ſine probro & periculo difficile eſt ſeſe extricare. Simplicitate fucata nihil eſt peſtilentius. Vt hamo ineſcato piſces, viſcatis virgultis aviculæ, ſic imprudentes doloſi hominis impoſtura capiuntur. Nulla vitæ pernicies major inveniri poteſt, quàm cùm in malitia ineſt ſimulatio. Propterea vir prudẽs exactum ſemper adferet judicium, dum ſe in alienam ſocietatem cupit inſerere. diſcernat prudenter dignos ab indignis. Modium ſalis cum amico comedes, antequam illi tua arcana committas. Nimia credulitas, locum dat impoſturæ. Ne nimium fide, inquit Italus, ſi decipi nolis. Occaſio furem facit. Qui malus eſt, ſtatim abutetur viri boni candore & credelitate; & ex illius damno non verebitur ſuam rem facere. Fronti nulla fides in plurimis. Nullæ ſunt periculoſiores inſidiæ, quàm quæ latent, ſub ſimulatione officii. Ita ſe quiſque in omni vita gerat, ut prudenter ſimplex, & ſimpliciter prudens ſit & habeatur.

Ioanni

XXVIII.



Ioanni Lasicio Polono, I.C.


VIR MALVS ALIENO DAMNO SVAM REM FACIT.



STertentis catuli tacito pede captat ab igne.
Quas videt assari simia castaneas.
Ingenio est simili quisquis sibi consulit, atque
Ex damno alterius propria lucra facit.

K MALVM

XXIX.



MALVM CONSILIVM CONSVLTOri pessimum.

COnsiderati Principis est, consultoribus uti quàm optimis, quoties ad res gerendas sese accingit. Consilium bonum nervus est potentiæ Regiæ. Visque consilii expers mole ruit sua. Neque assentiendum est iis, qui existimant res vrbanas minores esse bellicis. Quæ in militia Duces aggrediuntur, nisi consilio gerantur, ut plurimùm infelices habent exitus: quare expetenda est magis decernẽdi ratio, quàm decertandi promptitudo. Non enim viribus, velocitate aut celeritate res magnæ geruntur, sed consilio, autoritate, & sententia seniorum, qui rerum usu experientiaque valent. Principes ex optimis consiliarios sibi deligant; qui propriis affectibus, cupiditatibus aut lucro ferri se nõ patiuntur: sed qui bono reipublicæ intenti sunt, qui utile ab honesto non separant: quibus pietas in Deum, patriam, & proximum cordi est. Ex temerariis consiliis sæpissime labefactatæ sunt excellentes Respublicæ; & regum auctoritas in discrimen adducta. Contingit & aliquando ut malum consilium fuerit consultori pessimũ. Quod evenisse olim Perillo, qui sævitiam Phalaridis conflato bove aheneo incendit. in quo crematus est inventor, & Tyrannus paulo post. Idem accidit & Thrasio; qui Busiridi suadens, ad eliciendas è cœlo pluvias, Iovi sanguine humano faciendùm sacrum. Is aquam primus Ægypto dedit. & ad easdem aras Busiris, cum Amphidamante postea ab Hercule jugulatus est.

Lælio

XXIX.



Lælio Cleopasso Hydruntino.



Consultor persæpe malus, dum suadet iniqua,
Consilio patitur parta pericla suo.
Quod docuit quondam tauri fabricator aheni:
Et jugulo Phariis qui dedit hospes aquam.

XXX.



LÆSA PATIENTIA FIT FVROR.

NEmo tam abjecti animi vir est, nemo tam vilis conditionis homo, qui irritatus aliena injuria, non cupiat violentiam à se repellere. Pulchra virtus est patientia: sed eam Italus Asininam vocat. Veterem ferendo injuriam invitas novam. Pusillanimitas malorũ proterviam excitat ad malè agendum. Contumeliosi è ciuitate extrudendi. Qui alteri parat exitium, eum scire oportet sibi paratam pestem, ut participet parem. Suæ quisque utilitati servire potest, dummodo sine alterius injuria fiat. Qui bonus est vir, is potiùs suum fert incommodum, quàm damno alieno suam rem faciat. Rei familiaris amplificatio nemini nocens, non est vituperanda; sed fugienda semper est injuria. Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturã, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quamq; cætera quæ corpori vel rebus externis eveniunt. Vitent potentiores violentiam neque sui commodi causa noceant alteri: sed se legibus æqui ac recti contineri sciant; quæ hoc spectant, hoc volunt incolumem esse civium conjunctionem. Qui volunt in inferiores imperium gerere, bonos imitentur pastores; qui tondent pecus non excoriant. Præficiuntur autoritate divina Principes populo, ut eorum potentia boni defendantur, puniantur mali. Qui secus facit, indignus est imperio.

Veturio

XXX.



Veturio Leontio Hydruntino.

LÆSA PATIENTIA FIT FVROR.



VEl Iovis ante oculos aquilam ſcarabeus inultam
Non ſinit: ira ullum neſcit habere modum.
Mentem offenſa agitat ſanam: patientia læſa
Fit furor: & rabidas vertit ad arma manus.


XXXI.



DVLCE VITÆ CONDIMENTVM Amicitia.

AMicitiam rebus omnibus humanis anteponamus. Nihil enim eſt tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel ſecundas vel adverſas. In amicitia enim omnia inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut cùm hæc adſint, vita beata ſit, & ſine iis eſſe non poſſit. Amicitiæ firmiſſimum eſt præſidium. Non aqua, non igni, non aëre pluribus locis vtimur, quàm amicitia. Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt. Tantum boni eſt in amicitia, ut ad eam rem perficiendã, deorum atque hominum munera videantur cõcurrere. Conjunctio animorum maxima eſt cognatio. Idem velle, atque idem nolle, ea firma eſt amicitia. Amicus eſt deſiderabile nomen, infelicitatis refugium, ſecretorum receptor, amanda felicitas. Optimam vitæ ſupellectilem ſibi comparavit, qui amicos paravit. Sine amicorum benevolentia, neque in adverſa, neque in ſecunda fortuna quiſquam vivere poteſt. Ac propterea colendam amicitiam ſapientes affirmant, quòd ſine ea tutò, & ſine metu vivi non poſſit, ne jucundè quidem. Nullo enim modo ſine amicitia firmam & perpetuam jucunditatem vitæ tenere poſſumus. Vita ſine amicitia cæca eſt, inſidiarum & metus plena. Amicus quaſi animæ æquus, ab animorum æqualitate dictus eſt. Eſt enim amicitia una anima in duobus corporibus.

XXXI.



Iacobo Paſchario Medico.

DVLCE VITÆ CONDIMENTVM AMICITIA.

AMICITIA COLENDA EST, QVOD SINE EA TVTO ET SINE METV VIVI NON POSSIT, NE IVCVNDE QVIDEM.

31

CONSTANTER.

Cincta est virtutis cestu: candoris amictu:
Muneribus dives, religione potens.
Cor patet, & firma est, & ſceptro nixa benigno
Simpliciter prudens regnat Amicitia.

XXXII.




AMICORVM OMNIA COMMVNIA.

CVi ſunt amici, eſſe ſibi theſauros putet. Veros amicos ducito fratrum loco. Honora amicos, tanquam honorares deos. Nummis potior amicus in periculis. Et cùm amicorum communia eſſe debeant omnia, ſibi laborant ipſi, amico qui ſuo. Vt ignis aurum, tempus ita amicum probat. Amicitiam tueri non poſſumus, niſi amicos æquè ac noſmet ipſos diligamus. Quibus cùm noſtra omnia dicata ſint, ſi quæ honeſta nō ſunt poſtulantur, religio & fides amicitiæ anteponenda erit. Neque amici vocandi ſunt, qui amicitiæ ſcopum in utilitate conſtituunt. Meipſum ames oportet, non mea, ſi verè amici futuri ſumus. Barbari ſunt & inhumani, qui nihil æſtimant, niſi quod ſit fructuoſum, neque ſibi exemplo ſunt. Ipſe enim ſe quiſque diligit, non ut aliquam à ſeipſo mercedem exigat charitatis ſuæ, ſed quod per ſe ſibi quiſque charus eſt. Quod niſi idem in amicitia transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Vna iſta ſit cautio in amicitia, ut ne nimis citò diligere incipiamus, neve non dignos. Digni autem ſunt amicitia quibus in ipſis ineſt cauſa cur diligantur: ut virtus, pietas, eruditio, comitas, & cetera ejuſmodi bona animi. Amandum eſt, ſed uſque ad aras. Inter bonos tantùm conſtat amicitia. Quæ inter malos concordia contrahitur, & aſſociatio licèt firma ad tempus, conſpiratio non amicitia vocanda eſt.

Ludovico

XXXII.



Ludovico Malarmæo Vesuntino. I.C.

AMICORVM OMNIA COMMVNIA.



Coelo animam, patriæ vitam debemus: amicis
Omnia: sed certa conditione tamen.
Sancta deis pietas sacrari poscit, & aris:
Cætera non læso numine, amicus habet.

XXXIII.



INGRATITVDINE LANGVET amicitia.

SI amare nihil aliud est, nisi perpetuò consentiens voluntas & desiderium procurandi quę necessaria sunt, aut utilia nostris amicis, nullo nobis emolumento proposito, quod ad nos redeat, eos qui sordida ingratitudine sua commoda tantùm quærunt in amicitia, captantes quavis occasione, tempore, & loco sua lucra, neque reciprocam in commune conferunt voluntatem & studium, dicemus falsò vsurpare tam sanctum & laudabile nomen amicitiæ. Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam tetrum, quàm committere ut beneficio non dicam indignus. sed victus esse videare. Neque solùm gratus debet esse, qui accepit beneficium, verumetiam is cui potestas accipiendi fuit. Eodem animo debetur beneficium, quo datur. Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit. Nihil enim magis alienum ab humanitate, & ea morum comitate, quæ inter bonos esse debet, quàm benefactis alienis rem suam cumulare, nec quicquam cuiquam reddere, si reddendi facultas adsit. At cui gratia referri non potest quanta debetur, habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt. Cùm amici, de quo meritus esse videris, facultates ita tenues sunt & exiguæ, ut par pari referre non possit, voluntatem sinceram pro facto accipere viri boni est.


Stephano

XXXIII.




Stephano Saugeto Vesuntino,

INGRATITVDINE LANGVET AMICITIA.



Officium ingratus nullo qui fœnore pensat,
Orchomeni faciles non habet ille Deas.
Sed cribro similis: per aperta foramina cujus
Integra si fundas flumina, tota fluent.

XXXIIII.



ΧΑΡΙΣ. ΑΧΑΡΙΣ.

SErò beneficium dedit, qui roganti dedit. Carè emit beneficium, qui precibus extorsit. Qui citò dat, bis dat. Gratia celer dulcissima: quæ verò tarda est, ingrata est gratia. Si quod bonis confertur beneficium non perit, quæ benè collocata est gratia, preciosus est thesaurus. Nihil sordidius, nihil vilius abjectiusve, aut viro bono magis indignum, quàm semper accipere, & nullam reddere gratiam; imo si facultates ferant, duplum rependere. Hujus sententiæ memor esse debet homo ingenuus. Accepta memineris, data obliviscere. In conferenda gratia non considerabimus, quod à plerisque fieri solet, ut ei benè faciamus, à quo duplum nobis reddi speramus. Hoc boni viri officium est, ut quisque opis nostræ maximè indigeat, ita ei potissimùm opitulemur. Multi liberales in promissis, tenaces in collatione beneficii. Plurimi beneficii collati memoriam exprobratione, odiosave commemoratione labefactant. quo nihil ingratius inveniri potest. Ingratus est, qui accepisse beneficium se negat quod accepit: ingratus est qui dissimulat, ingratus qui non reddit: omnium ingratissimus qui oblitus est: odiosus qui exprobrat, aut qui assidua commemoratione benefacti gratiam debitam imminuit. Similis est capellæ vitiosæ, quæ cùm hero quotidiè mulctram lacte plenam dederit, nisi caveatur, eam pede impulsam subvertit, aut exonerata alvo stercore lac fœdatum corrumpit.

Francisco

XXXIIII.




Francifco Sarræo Nanceiano. I. C.



QVi cito dat, bis dat, cantant proverbia: ficut
Ἁ χάρις ἁβραδύπους ἄχαρις ἔστι χάρις.
Munera quæ tardo veniunt pede munera non ſunt.
Nam, quæ hæc commendet, Gratia nulla ſubeſt.

XXXV.



PRÆTEXTV NOCENTIOR.

TOtius justiciæ nulla est capitalior pestis, quàm eorum, qui cùm, dum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni videantur. Hypocrisis teterrimum est vitium; qua societatis humanæ, omnisque amicitiæ vis corrumpitur & concidit. Cumque in omni genere hominum reprehendenda sit, in iis abominanda meritò debet esse, qui suas iras, inimicitias, ambitionemq; prætextu pietatis & religionis tegunt & satiant: animæ malæ & incendiariæ, seditionum & discordiarum fomites tecta fraude serentes. Iusticiæ pars præcipua est non violare homines. Nihil à justiciæ officio magis est alienũ, quàm inferre injuriam. Nihil tetrius aut inhumanius, quàm nocere charitatis simulatione. Inimicum apertum fugimus & cavemus illius violentiam. In hypocritæ calumnias & injuriam citiùs impingimus & labimur, quàm animadverterimus: Si potissimùm authoritate & potentia, vel sanctimoniæ inter bonos excellant opinione. Eorum violentiam difficiliùs evitare possunt oppressi, quò plures habeant suæ improbitatis fautores, etiam inter bonos, quibus larva integritatis imponunt. Nihil tam inhumanum, tam deforme, tam illiberale videtur, quàm ad summum imperium summam acerbitatem naturę adiungere, & illi belluinæ crudelitati larvam pietatis induere.

Petro

XXXV.




Petro Friderico Mindano. I. C.

PRÆTEXTV NOCENTIOR.



NVlla est justitiæ pestis capitalior illis
Larvata apparent qui pietate boni.
Quo plura intulerint incautis damna nocentes,
Inde illi laudis plus meruisse volunt.

XXXVI.



AMOR TECTVS ARDENTIOR.


DIfficilimum est juventutem intra limites sui officii continere, ac stolidæ illius ætatis refrenare passiones & affectus, qui eo magis æstuant, quò magis teguntur. Nulli hominum, aut saltem paucis, natura datum est, vt eodem tempore multo amore inflammetur, & prudens sit. Amore judicium pervertitur, mens in diversum distracta, non potest imaginari quæ recta sunt & necessaria. Fluctuat omnis amans. Vis magna mentis, blandus atque animi dolor amor est. Quæ res nec modum habet, nec consilium; ratione modoq; tractari non vult. Amorem sectari solent cura, ægritudo, dolor. Amori accedunt hæc vitia, insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga, ineptia, stultitiaque adeo, & temeritas, incogitantia, excors, immodestia, petulantia, cupiditas, & malevolentia. Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria, inopia, contumelia, & dispendium. Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis? Crudelis amor, cujus parva flamma primo vapore delectat; at fomento consuetudinis exæstuans immodici ardoris totum hominem perurit. Amantes amentibus haud absimiles; qui seipsos nesciunt, & quid agant ignorant. Libertas quoniam nulli jam restat amanti; Nullus liber erit quisquis amare volet. At quisquis in primo obstitit pepulitq; amorem, tutus & victor fuit. Qui blandimento dulce nutriuit malum, serò recusat ferre, quod subiit jugum.

Pomponio

XXXVI.


Pomponio Ricio Neapolitano.

AMOR TECTVS ARDENTIOR.



Difficile est rapidam frenis cohibere juventam:
Sæpe est auriga noxia, sæpe rotis.
Conduplicat vires tectus vehementius ignis.
Quoq; magis tegitur, tum magis ardet amor.

XXXVII.



VOLVPTATIS VSVRÆ MORBI.


NIhil ſeruilius abjectiuſque eſt, quàm voluptatibus obnoxium videri. Inſaniam aufert medicus; voluptas cùm æquè mentem eripiat homini, vix ſanabile malum eſt. Nulla capitalior peſtis hominibus à natura data eſt, quàm voluptas. Nam ex hoc fonte prodit quicquid eſt in hominum vita ſcelerum & calamitatum. Voluptati inhoneſta parata eſt comes pœnitentia. Quàm optimè hoc natura comparatum eſt, vt hæ duæ res ſeſe invicem comitentur, voluptas & dolor. Luxu nihil turpius: Libido pecudem ex homine reddit. Fluit voluptas, & prima quæque evolat; ſæpiusque relinquit cauſas pœnitendi, quàm recordandi. Plerique propter voluptatem, & parvam & non neceſſariam, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt: ſæpe etiam legum, judiciorumq; pœnis obligantur. Quò major eſt voluptas, eò magis mentem à ſua ſede & ſtatu dimovet. Quapropter qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorũ illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt, ad Reipublicæ gubernacula non ſunt admittendi. Fieri enim non poteſt, ut animus libidini & cupiditati deditus, prudentia valere, conſilio prodeſſe, & diſcernere verum à falſo poſſit; nedum aliis conſulere, cùm ſibi ipſi ſit inutilis.

Livio

XXXVII.

Livio Algerio Nolano.

VOLVPTATIS VSVRÆ MORBI.



Sperne voluptatem: multorum est esca malorum.
Solicitus mœror cui solet ire comes.
Illius usuræ morbi, dolor, angor, egestas;
Et pudor, & nudo corpore pauperies.

XXXVIIII.



DELECTAT ET ANGIT.

NVlla capitalior pestis, quàm corporis voluptas, hominibus à natura data est. Imitatrix enim boni est, malorum mater omnium: cujus blanditiis corrumpuntur quæ natura bona sunt. Esca malorum est voluptas, qua homines capiuntur ut hamo pisces. Venientes voluptates fucata specie blandiuntur, abeuntes autem pœnitentiã ac dolorem relinquunt. Ex earum affectibus ferè omnis humanæ vitæ pernicies nascitur; cui à natura parata est comes tristis pœnitentia, ac dolor. Voluptates blandissimæ dominæ, sæpe majores partes animæ à virtute detorquent. Virtutes maximas jacêre oportet, voluptate dominante. Huic qui deditus est, illi omnia sensu non ratione judicanda sunt; eaque dicenda optima quæ sunt suavissima. Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate. Omnis nostra cura debet in hoc versari semper si possumus, ut voluptatis fomenta, & dulces illecebras à nobis submoveamus: Nobisque persuasum esse debet, si Deum, hominumque societatem, ad quam nati sumus, velimus colere, ut nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter faciamus. Honesta bonis, non occulta querenda sunt. Ea suauitas quæ ex voluptate emanat, statim in amaritudinem convertitur, delectatio in dolorem.

Basilio

XXXVIII.




Basilio Charondæ Albano.



Spicula sentit apum, dum dulcia mella requirit
Condita in Hyblæis stulta puella favis.
Sic quoque delectat damnosa angitq; voluptas;
Inque suis celat spicula mille favis.

XXXIX.




VBI VOLVPTAS IMPERAT ILLINC extruditur virtus.

IMpedit consilium voluptas, rationi inimica, nec habet ullum cum virtute commercium. Propterea in voluptatis regno virtus non potest consistere. Nihil altum, nihil magnificum ac divinum suscipere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tam turpem, tam contemptam. Omittendæ sunt omnes voluptates, relinquendus luxus, & mollia delectationis studia, quæ homines à virtute alienos reddunt. Perniciosa sunt ea blandimenta, quibus sopita virtus suum amittit splendorē. Cùm enim corpore constemus & animo, non minorem curam animi quàm corporis habere debemus. Duplex est vis animorum, una pars in appetitu posita est: altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum, fugiendumve sit: ita fit ut ratio præsit, appetitus verò obtemperet, si animus sit integer. Animi morbi sunt cupiditates immensæ, non solùm gloriæ, divitiarum, dominationisque, sed etiam libidinosarum voluptatum, quæ animos exedunt, conficiuntque curis, judicium pervertunt, nec permittunt ullam cum virtute associationem aut commercium.


Contraria enim tenent, neque ulla vtriusque potest evenire convenientia.

Philippæ

XXXIX.



Philippæ Lazææ Polanæ.



Regnat ubi molli luxu satiata voluptas;
Illic virtuti non datur esse locus.
Namque hæ diversis committunt prælia signis.
Perpetuasq; gerunt ambæ inimicitias.

XL.




EBERIVS INSANO EST SIMILIS.

HOmini intemperanti venenatũ eſt vinum. Ab inſano minimè differt ebrius: & hic & ille mente capti, in vxorem, liberos, amicos & proximum quemq; ſine diſcrimine ſęviunt. Vino forma perit, vino corrumpitur ætas. Vinum mors memoriæ. Magnum hoc vitium vino eſt; pedes captat primùm, luctator doloſus eſt. Vno namque modo vina venuſque nocent: Vt venus enervat vires, ſic copia vini; & tentat greſſus, debilitatque pedes. Balnea vina venus corrumpunt corpora noſtra, ut vitam faciunt balnea vina Venus. Periculum minùs fugiendum eſt quam ebrietas. Si unum in locum collata ſint omnia mala, cum turpitudine ebrietatis nõ erunt comparanda. Omnium perturbationum fons, eſt intemperantia; quæ eſt à tota mente, etiam à recta ratione defectio; ſic averſa à pręſcriptione rationis, ut uullo modo appetitione animi regi vel contineri queat. Mente enim rectè uti non poſſunt, multo cibo & potione repleti. Ab ipſa temperantia, & modeſta vitæ ratione tranſverſum unguem non oportet quenquam in omni vita ſua diſcedere: multo minùs in beluinas iſtas ingurgitationes ſeſe provolvere, quibus ſimiles imò pejores brutis homines redduntur.

Proſpe-

XL.




Prospero Ventidio Nucerino.



EBrius insano est similis: vinumq́ cicuta
Est homini. Hoc ætas formaq́ culta perit.
Luctator vafer est, & decipit arte dolosa:
Nam primùm captat debilitatq́ pedes.

N GRAN-

XLI.




GRANDE VECTIGAL PARSImonia.

VIctus cultusque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatẽ. Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas. Tantùm cibi & potionis accipit vir frugi, ut reficiantur vires corporis, non ut opprimantur. Iucunditas enim victus est in desiderio, non in satietate. Nihil indignius est homine, quàm sui ventris mancipium fieri, & turpis crapulę subire jugum. Victus moderatus grandis est homini sobrio thesaurus. Si res tua non sufficit tibi, tu parcendo fac ut sufficias rei tuæ. Benè est cui Deus obtulit, parca quod satis est manu. Serviat æternum, qui parvo nesciet vti. Qui necessariis contentus est, vilem sibi facit annonam. Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. Et is minimo eget mortalis, qui minimùm cupit. Quod satis est cui contingit, nil amplius optet. Divitiæ grandes homini sunt vivere parcè æquo animo: neq; enim est usquam penuria parvi. Auream quisquis mediocritatem diligit, tutus caret obsoleti sordibus tecti, caret invidenda sobrius aula. Omnibus enim in rebus quæ tractantur in vita, modum quendam & ordinem adhibentes, honestatem & decus conseruabimus.

Nicolao

XLI.



Nicolao Houllonio Metensi.



DIvitiæ grandes homini sunt vivere parce:
Dives cui rerum suppetit usus, erit.
Si non sufficiat tibi res tua, contrahe sumptus:
Angustæq; rei sic benè sufficies.

XLII.



PAVPERTAS LEPRÆ SPECIES.

OMnes hoc liberè fatebũtur, paupertatem non esse vitium: Quicunque tamen pauper est, inglorius & ferè infamis est apud omnes. Pauperi nulla est autoritas, nulla fides. Pauperum vani solent esse sermones. Pauper licet doctus, prudens, & probè eruditus, gratiam ditiorum mereri nunquam videbitur. Paupertas per se nihil mali habere dicitur: comitem tamen habet semper secum contemptũm. Nil habet infelix paupertas tristius in se, quàm quòd ridiculos homines facit. Tantùm fidei quantùm nummorum. Paupertas à lepra non est absimilis: ab utraq; qui tenetur, fugitur ab amicis & consanguineis. Multa vilia & servilia negotia liberos homines & ingenuos paupertas agere cogit: ob quæ misericordiam potiùs quàm odium mereri videntur. Amicus hospes si pauper est, primo die admittitur, secundo fœtet, tertio extruditur. Paupertas ut per se non est improbanda, habet tamen in se, quo efficaciter egenos moveat, & pelliciat ad malè agendum. Malè suada fames est. Nullum ad turpitudinem virgini lenocinium fortius est paupertate. Vir prudens, etiamsi divitiis inhiare non debeat, paupertatem tamen, quantùm potest, dum fugit, facit benè. Labem enim turpem virtuti inurit egestas. Et genus & virtus, nisi cum re, vilior alga est.

Ioanni

XLII.




Ioanni Aubrio Trecensi.



Paupertas vitium non est: sordet tamen omnis
Pauper, & egregio semper honore caret.
Est lepræ species: qua si teneare, propinquum
(Excuses quamvis omnia) nemo volet.

XLIII.



BONORVM PROBRVM EST, VIRVM probum indigere.


CVi patrimonium nimis exiguum relictum est à parentibus; nec illi ad necessarias res sufficit; cui fortunæ, bello, imposturis aut violentia aliena ereptæ sunt: qui in egestatem stoliditate socordia, ingluvie, desidia, aliave culpa incidit, opesque, quas prius habuit, decoxit, cùm magno adversario cõflictatur: Quacunq; causa paupertas hominem invadat, semper gravis, sempèr onerosa, semper opprobriis plena existimatur. Externis quidem bonis homo non fit melior: nulla tamen virtus suum retinebit decus in egestate. Mendicitas onus est intolerabile: à qua quò magis distabis, beatior judicabere. Vitam quæ faciunt beatiorem, res non parta labore, sed relicta. Nulli vitio dari debet ea sibi parare quæ desunt, Paupertas multis portam claudit ad honestas actiones. Nonnunquam etiam ad res indignas quasi humeris protrudit. Durum & intolerabile onus egestas. In extrema inopia constitutis, difficillimum est emergere: Qui tamen pauperes sunt sine culpa sua, contemnendi propterea non sunt, si boni viri sunt. Horum indigentia ditioribus probro esse debet. Bono beneficiũ conferre, boni viri est. Quod benè fit bonis haud perit: nati sumus non nobis, sed patriæ, sed amicis, sed virtute ac pietate prædititis.

Petro

XLIII.



Petro Lepido Metensi.



Qui probus est, & eget, probro illi non sit egestas:
In dites probrum manat id omne bonos.
Largiris quodcunque probo, tibi grata vicissim
Id virtus multo fœnore restituit.

XLIIII.



VITA AVLICA SPLENDIDA miſeria.

MEl amarum comedit, cibosq́; aloë tinctos; captiva libertate fruitur, jugum compedesq́ue aureos trahit, ſplendideq́ue miſer dici poteſt, qui aulicis vinctus illecebris, ſui juris eſſe nunquam poteſt. Is ſi cõferat poteniorũ faſtum, & faſtidia, ingratitudinem ſuperbam, & contemptum quem cogitur tolerare, cum omnibus deliciis & voluptatibus aulicis, ſentiet ſuam conditionem non multum differre à ſervis, qui ad ergaſtula detruduntur. Infelix eſt illa felicitas, quæ hominem liberum ſubjicit paſſionibus & pravis affectibus ſtulti diuitis, ſpe levis præmioli, vel inanis gloriæ propoſita: vel quod omnium turpiſſimum eſt, propter voluptates, ſcelerumque impunitatem; quę omnia fructus ſunt peculiares vitæ aulicæ: ex quibus, cùm maturaverint, morbi, cõtemptus, ignominia, ingratitudo, ſeraque pœnitentia naſcitur. Homo ingenuus ad libertatem natus eſt, & ad eam retinendam natura inſtigatur: Omnis ſervitus eſt oneroſa. ſervire ſuperbis, improbis, inſolentibus, violentis & impudicis, intolerabile. Ille liber dici nequit, cui mulier, cui puer, cui improbus imperat: qui nihil jubenti audet negare, nihil recuſare. Si poſcit, dandum eſt, ſi vocat veniendum, ſi ejicit abeundum, ſi minatur extimeſcendum.

Non benè pro toto libertas venditur auro.

Paulo

XLIIII.



Paulo Melisso Com. Pal.

VITA AVLICA SPLENDIDA MISERIA.

MElle aloëm tinctam comedes, & dulce venenum;
Servaque inaurato colla premere jugo;
Aegistique nurus imitabere quisquis in aula
Deperdes misero tempora servitio.

XLV.



METVS EST PLENA TYRANNIS.

TYrannus omnis inimicus est libertati, & legibus cōtrarius. Nihil aure tyranni violentius; nihil rapidius ad inferendam injuriam. Perpetua formidine fluctuabit, qui tyrannum sequetur. cujus amicitia inconstans & mutabilis, animusque ad iram & vindictam ob levissimas suspiciones procliuis est. Vt tyrannus malus est & improbus, sui similibus aulicis gaudet & delectatur; quibus neque parcit, leviter irritatus. Et cùm sciat se ab omnibus metui, omnes quoque suspectos habet, inter metum & spem dubius fertur: nihil non formidat; objectis omnibus, movetur: nihil inausum nihil intentatum relinquit quod non aggrediatur, ut à se contrarios conatus removeat. Magnum est Personam in Republica tueri Principis, qui non animis solùm debet, sed oculis servire civium. Non tantum mali est peccare Principes, quantum illud quòd permulti etiam imitatores principum existunt. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Quæcunque mutatio morum extiterit in Principe, eadem in populo statim subsequitur. Et vitia quæ Principes concipiunt, ea celerrimè infundunt in civitatem: plusque exemplo quàm peccato nocent. Felix fortunatumque regnum, cui bonus Rex imperat, legum fautor, & bonorum morum promotor.

Fabio

XLV.



Fabio Tæniæ Salernitano.



ASsentatorem penso Dyonysius ense
Circunstent regem quanta pericla docet.
Si bonus est, positis vivet securior armis:
Si malus, instanti est proximus exitio.

XLVI.



NVLLI PRÆSTAT VELOX FORtuna fidem.

VAria eſt vitæ commutabiliſque ratio, vaga volubiliſque fortuna. Nihil eſt tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quàm fortuna. Ea enim non ſolùm cæca eſt, ſed etiam plerunque efficit cęcos, quos complexa eſt. Qui fortuna aſpirante extolluntur, ſæpe efferuntur faſtidio & contumacia. Nihil eſt inſipiente fortunato intolerabilius: Cæca quoque dicitur, quòd nihil cernat quò ſeſe applicet. Sæpius ſua indignis largitur munera. Inſanam illam quoque vocarunt antiqui, quia atrox, varia, incertaque ſit, & inſtabilis. Dat quodcunque libet fortuna, rapitque. Brevis eſt magni fortuna favoris. Ea vitrea eſt, & cùm maximè ſplendet, frangitur. Citiùs fortunam invenias, quàm retineas. Nunquam enim magis conſtans eſt, quàm in ſua inconſtantia & volubilitate. Fortunæ muneribus utendum, non fidendum. Quicquid in altum fortuna tulit, ruitura levat. Fortunæ ſævo læta negotio, & ludum inſolentem ludere pertinax, tranſmutat incertos honores, nunc mihi nunc alii benigna. Et cùm blanditur, tum maximè metuenda eſt. Quare oblatam utramvis fortunam, iuxta ſuſcipere diſcat, qui animo eſſe tranquillo cupit.

Dionyſio

XLVI.



Dionysio Lebæo Bathillio.



DVm nobis fortuna favet, blanditur, & offert
Subsidium, nobis est metuenda magis.
Illiusq; bonis, dum arridet læta, fruamur:
Hanc reperire quidem, non retinere licet.

XLVII.



VIRTVS EST FVNERIS EXPERS.

QVæcunque in rerum natura conſpiciuntur, ea interitui ſubjecta ſunt. Robur, valetudo, divitiæ, forma, dignitates, reliquaque bona, quibus commodè vita hæc tranſigitur, citò evaneſcunt. nihil eſt in hoc orbe terrarum quod ſit perpetuum: Sola virtus theſaurus eſt homini conſtans, & peculium æternum. vitam hanc quam vivimus, ſi benè conſideremus, brevem, dubiam, & inquietam, nomine vitæ non dignabimur, ſi à virtute remota ſit. Prima pars ævi ſeſe neſcit; media curis obruitur; ultima moleſta ſenectute premitur. Formæ gloria fluxa eſt, & fragilis. Gaudia non remanent, ſed fugitiva volant. Divitiarũ incerta eſt poſſeſſio: opes ſunt ſarcinæ mentis. Creſcentem ſequitur cura pecuniam. Robur morbis & ſenecta debilitatur. Pauperies obruit hominem probris & infamia. Rari amici, iique fucati & infideles. Vt ſunt humana, nihil eſt perpetuum datum. Debemur morti nos noſtraq;: Omnes una manet mors. At virtus eſt immortalis. Nunquam Stygias fertur ad undas inclyta virtus. Benè vivere bis vivere eſt.

Semita, certè, tranquillæ per virtutem patet unica vitæ:
Sola perpetuò manent ſubjecta nulli mentis
atq; animi bona.

Iacobo

XLVII.




Iacobo Santalbino Medico.

SOLA VIRTVS EST FVNERIS EXPERS.



D*Ivitias frustra iactant titulosque genusq;:*
Qui credunt se istis & sua nominibus.
His spes nixa labat mors hæc rapit omnia secum.
De cunctis virtus sola superstes erit.

XLVIII.




MENS INCONCVSSA MALIS.

CVm ſapientia donum Dei ſit; noſque à malarum cupiditatum impetu & violentia vindicet; ipſiuſque fortunæ injuriam modeſtè ferre doceat, omnes nobis aperiat vias, quæ ad quietem & tranquillitatem animi ducant; ea nihil eſſe poteſt optabilius, nihil præſtantius, aut homine magnanimo dignius. Cùm perceptas penitus & pertractatas humanas res habere doceat, nihil admirari cùm acciderit; nihil antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari. Itaque Sapientis animus magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus ſeptus, vinci aut expugnari non poteſt. Eſt enim Sapientis quicquid homini accidere poſſit, ad id præmeditari, & ferendum modicè, ſi evenerit: nihil illi videri magnum in rebus humanis: cùm ſemper animo ſic excubet, ut ei nihil improviſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino novum. Atque idem ita in omnes partes aciem intendit, ut ſemper videat ſedem ſibi in cœlis, & locum ſine moleſtia atque angore vivendi paratum: ut quemcunque in hac terreſtri vita caſum fortuna invexerit, hunc aptè & quietè ferat. Abſtrahit enim nos ab his corruptibilibus, ut firma ſpe, & vera fide poſſideamus æterna, & iis fruamur.

Georgio

XLVIII.



Georgio Bertino Medico.

MENS INCONCVSSA MALIS.



VT pelagi mediis rupes in fluctibus extans
Aestum commoti fert benè firma sali,
Sic vitæ qui forti animo est ac mente, procellas,
Propositaq́ etiam morte, pericla feret.

XLIX.




SPES COELO CERTISSIMA VENIT.

QVicunq; in rebus humanis ſpem collocat, ille, uti dignus eſt, ſæpe fallitur: exitusque incertos ſuæque expectationi contrarios experitur. Nihil firmum, nihil ſtabile eſt in hac vita. Refugium noſtrum & præſidium in adverſis tutius eſt, & loco magis munito repoſitum, quàm ut ab eo abſtrahi aut dejici poſſimus: nempe in cœlis, ad quos oculorum mentis acie nos penetrare docet Sapientia divina: cujus providētia, & cura vigili ita ſepti ſumus, ut cùm ea nitimur & inhæremus, nihil nobis obeſſe poſſit. Nulla mœnia tam ſunt munita, quin machinis & ſuffoſſionibus, aut, ut nihil horũ, proditione capiantur. Securitas, quam ex Patris cœleſtis recipimus promiſſis, tāta eſt, ut ſpe ac fide inexpugnabili jam fruamur bonis adhuc abſentibus. Neque eſt quicquam, quod nos poſſit divellere aut ſeparare ab illa charitate, qua nos benignus Deus amplectitur. In rebus humanis ita natura comparatum eſſe videmus, ut nihil ſit ex omni parte beatum, nihil perpetuũ. Novit paucos ſecura quies: & ideo, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam, grata ſume manu. ad immortalia & cœleſtia confugiendum, quæ incertis caſibus ſubjecta non ſunt.

Friderico

XLIX.



Friderico Sylburgio.



QVisquis in humanis rebus spem collocat, audet
Adriacos lacerà scindere lintre sinus.
Si qua tamen restat, nobis certissima cœlo
Cernitur, à summis anchora missa Deis.

L.



MORS EXTRA PERICVLVM NOS collocat.

VIta hæc caduca & miſerabilis, navigationi periculoſæ ſimilis eſt : in qua fluctuamus naufragis plerunque miſeriùs, palmum unum aut duos à morte remoti. Vita data eſt utenda homini. Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus: & labor & duræ rapit inclementia mortis. Longiùs aut propiùs mors ſua quenque manet. Finis alterius mali, gradus eſt futuri. Omnium rerum eſt viciſſitudo. Omnia orta occidunt; auctaque ſeneſcunt. Qui ſapit homo ſe priùs morti quàm vitæ parare debet; atque adeo putare extremum ſemper adeſſe diem. Hæc eſt hominis ſors & conditio, ut quàm citò in lucem exeat, moriturus exiſtat. Quis furor eſt atrā bellis accerſere mortem ? imminet & tacito clam venit illa pede. Mors æquat ſummis infima, involvit humile pariter & celſum caput. Stat ſua cuique dies; breve & irreparabile tempus omnibus eſt vitæ. Fata manent omnes. Nemo tam divos habuit faventes, craſtinum ut poſſit ſibi polliceri. Mors ultima linea rerum. vita & mors jure naturę ſunt. Et cùm natura nobis hanc vitam commorādi diverſorium non habitandi dedit : quæ cùm ærumnis & calamitatibus plena ſit, mors calamitatum requies putanda eſt.

Petro

L.




Petro Gualterio Chabbotio.



DVm juvat hanc animam malè fide credere Puppi;
Atque hinc Scylla minax, inde charybdis atrox:
Nunquam erit absque metu ambiguo, immunisque periclis,
Dum repetat patriam, sidera summa, domum.

LI.




EXPERS FORTVNÆ EST SApientia.

FOrtunam antiqui coluêre ut Deam; dominamque rerum vocarunt: cui attribuerunt ordinationem & dispensationem bonorum omnium, quæ ad hanc vitam pertinent. Nos, qui melius ex sacris literis instructi sumus, referimus omnia ad Dei altissimi providentiam, cujus arbitrio etiam levissima in hoc mundo geruntur. Fortunæ nomen non admittimus. Cùm autem antiqui illam volubilem, inconstantem, & levem judicarent, bona quæ extrinseca sunt, illius potestati subjecerũt. Quę cùm facilè pereant, effluãt, & elabantur è possessorum manibus, tamq; dignis quàm indignis sine discrimie cõferantur, vir prudens & cordatus iis utitur ad necessitatẽ: neq; in iis ullam suæ felicitatis partẽ constituit, sicut stulti faciunt: Sed à Deo optimo maximo sapientiam poscit, thesaurum omni auro preciósorem; qui auferri neque eripi potest à possessore, summis etiam in afflictionibus constituto. His divitiis & bonis animi fultus, fortunam ridet & despicit. Sapientia enim est rerum divinarum atque humanarum scientia: in qua continetur Dei & hominum communitas, & societas inter ipsos. Hac præceptrice in tranquillitate vivi potest, cupiditatum ardore restincto. Est enim vera sanitas animi; quæ unumquemque docet, ut seipsum agnoscat.

Rudolpho

LI.



Rudolpho Magistro Medico.

EXPERS FORTVNÆ EST SAPIENTIA.



Fortuna dubia haud vehitur sapientia cymba;
Nec vanis fulta est indiga divitiis.
Sed cura vigili & studio solerte parata,
In varia rerum cognitione sedet.

FINIS.



